

Katholizismus und Protestantismus in den  
norddeutschen Diözesen  
Magdeburg, Halberstadt, Hildesheim, Paderborn, Minden,  
Osnabrück, Lübeck und Münster im Jahre 1607.  
Aus den Akten des päpstlichen Staatssekretariats.

**Mitgeteilt von H. V. Sauerland.**

Der nachstehende Bericht findet sich in einem Bande der Vatikanischen Bibliothek, cod. manuscr. Ottobonian. nr. 2421. Dieser enthält eine Fülle von Nuntiatur-Berichten, Bittschriften und anderen kirchlichen Angelegenheiten betreffenden Schriftstücken, die aus verschiedenen Ländern um die Zeit der Jahre 1608–1609 nach Rom — und zwar unzweifelhaft an das dortige päpstliche Staatssekretariat — gelangt sind. Der Verfasser unseres Berichts, der auf seiner zweiten Seite (fol. 87<sup>1</sup>) die zweifache Inhaltsbezeichnung: *Informatio ecclesiarum septentrionalium a Germ[ania]* und: *Informatio super ecclesiam Saxoniae* trägt, ist weder aus diesem selbst noch aus den andern Stücken des Bandes zu ermitteln. Aus einer Äusserung in dem über das Bistum Lübeck handelnden Abschnitte (7) ergibt sich, dass der Bericht in der zweiten Hälfte des Jahres 1607 geschrieben ist. Kurz vorher hatte sich in der Kölner Nuntiatur ein Wechsel vollzogen, indem an die Stelle Coriolano Garzodoros, der am 9. September 1606 Köln verliess, der Erzbischof von Athen, Attilio Amalteo trat. (Unkel, in Ehse's, Festschrift zum 1100jährigen Jubil. des deutschen Campo Santo S. 260/1.) Aus den Worten zu Beginn des Abschnittes über Paderborn (4) geht nun hervor, dass der Verfasser unserer Denkschrift die Unterweisung des Nuntius über die kirchlichen Verhältnisse in seinem Nuntiaturbezirke im Auge hat, und so wird es wahrscheinlich, dass die Denkschrift selbst auf Anregung durch den Nuntius Amalteo entstanden ist. Da der Verfasser die Diözese Münster besonders eingehend bespricht und sich über deren kirchliche Verhältnisse besonders genau unterrichtet zeigt, so ist die Vermutung wohlbegründet, dass er in dieser Diözese und hier wohl in der Bischofsstadt selbst zu suchen sei. Diese Vermutung gewinnt an Wahrscheinlichkeit, da der Verfasser das Münsterland zweimal als *haec provincia* und das in Münster vom damaligen Bistums-Administrator Ernst von Baiern geschaffene *Consilium ecclesiasticum* als „hier“ (*hic*) eingerichtet bezeichnet. — Die grosse Wichtigkeit des Berichts für die Kenntnis der Geschichte der Reformation und Gegenreformation in den 8 niederdeutschen Bistümern bedarf keines Nachweises.



1. (*Fol. 77.*) **Magdeburgensis** ecclesia metropolitana ex postulatione capituli illius episcopum vel potius principem habet Christianum Wilhelmum, qui patri Ioachino Frederico moderno electori Brandenburgico successit, annorum circiter viginti. Cum quo ante annos 9. plus minus inter caetera capitulatum fuit, ut octo millium dalererum pensione contentus administrationem capitulo annis undecim permitteret; uxorem ducere si vellet, prius ecclesiam et provinciam abdicaret; utramque religionem, catholicam scilicet et lutheranam, quam ipsi Augustanam confessionem vocant, toleraret, in tutelam susciperet et defenderet. Hanc capitulationem Caesar approbavit. In ecclesia metropolitana iam inde ab annis 48. nullum catholicum sed haeticum palam fit exercitium; et in trabe, quae chorum a navi separat et crucifixi simulachrum sustinet, maiusculis literis legitur: Hic introductum est evangelii lumen exploso antichristo. Praepositus est serenissimus elector Coloniensis ex provisione apostolica ante annos sex obtenta. Qui, si decanum vel paucos canonicos capitulares haberet catholicos, religionem ex parte restituere posse videretur. Canonici capitulares cum decano 12. sunt, nec inter illos catholicis ullus, sicuti nec inter sex reliquos, duobus comitibus Zollerano et Fürstenbergo exceptis, quibus a S. Sanctitate nuper provisum fuit. Summus pontifex in metropolitana ecclesia ius conferendi beneficia, iuxta concordata Germanicae nationis, illaesium adhuc habet. Quod decani et aliquorum canonicorum opera et autoritate videtur eo consilio et ope conservatum, ut per fraudem et largitiones Romae (*Fol. 77<sup>a</sup>.*) praebendas consequi possent, quod et hactenus illis nimium bene successit. Plerique ex canonicis uxores suas palam duxerunt et habent. Ecclesia haec ditionem habet late patentem, fertilissimam, praeter civitatem celeberrimam, multitudine oppidorum, castrorum et pagorum claram; collegiatae ecclesiae in ipsa civitate et suburbio tres habet. Omnes canonici et vicarii residentes in his collegiis haetici sunt. Monasteria vero sunt virorum quatuor. In duobus monachi omnes haetici sunt, quorum unum in ipsa civitate situm est Praemonstratensis ordinis, alterum vero prope civitatem ordinis S.<sup>ti</sup> Benedicti. Duo autem reliqua ad duo milliaria a civitate remota ordinis S.<sup>ti</sup> Benedicti habent omnes religiosos adhuc catholicos. Quibus horarum canonicarum psalmodia, non autem sacrificium missae a capitulo metropolitano tanquam regimine permittitur. Sunt praeterea in hac diocoesi monasteria virginum quinque. Unum in suburbio S.<sup>tae</sup> Agnetis omnes personas habet catholicas; horas canonicas iuxta morem sui ordinis cantant quotidie, sacrificium autem missae occulte celebrant. Alterum Haldenslabiense<sup>1</sup> tribus milliariibus Magdeburgo distat, in quo media pars virginum sunt haeticae, reliquae autem catholicae, sine missae sacrificio et reliquo exercitio religionis. Tertium et quartum Egelense<sup>2</sup> et Meyendorff monasteria similiter omnes vigines habet catholicas, sed absque ullo exercitio religionis. In quinto vero Marienborn praeter unam omnes haeticae sunt virgines. Reliquae omnes ecclesiae sive parochiales sive collegiatae et ecclesiastica bona, quae maxima sunt, ab haeticis occupantur. (*Fol. 78.*)

<sup>1</sup> sic!

<sup>2</sup> Exelense *cod.* — Egeln (auch Kloster Marienstuhl genannt).



2. **Halberstadensis** ecclesia cathedralis sub metropolitana Moguntina ex postulatione capituli episcopum habet Henricum Julium, modernum Ducem Brunsvicensem. In ecclesia cathedrali canuntur quidem horae canonicae, sed omissis iis, quae de sanctorum invocatione vel defunctorum solamine habentur. Praeposituram obtinet frater dicti episcopi Philippus Sigismundus, qui praeterea est episcopus Osnaburgensis et Verdensis. Canonici capitulares lutherani sunt praeter decanum D. Matthiam ab Oppen, Ludovicum a Lochou scolasticum, Joachimum Ernestum a Bieren et Casparum a Wrampen, quamvis hic uxorem duxit. Provisiones apostolicae ultra bimestre non expectantur, et tamen etiam intra tam breve tempus legitime provisum plurimum fit molestiarum, ut multi deserant suas provisiones. Habet haec diocoesis terram fertilissimam, civitatem celebrem, oppida, castra et pagos multos. In ipsa civitate praeter cathedrale tria sunt collegia canonicorum. Unum beatae Mariae virginis, in quo praeter tres catholicos reliqui canonici sunt lutherani. Alterum sancti Mauritii, in quo quatuor canonici catholici sunt Tertium sancti Pauli, in quo pari numero fere sunt catholici cum haereticis. Monasteria virorum in civitate Halberstadensi duo sunt, unum canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, alterum Franciscanorum, in quo solus guardianus restat. Foeminarum vero monasteria in civitate quoque duo sunt, unum ordinis sancti Dominici, alterum Mendicantium. Prope muros tertium est Cistercensis ordinis. Extra civitatem ad unum vel duo milliaria quinque sunt monasteria virginum. Et omnia iam dicta monasteria habent exercitium religionis catholicae protectione domini decani et (*Fol. 78<sup>1</sup>*) catholicorum canonicorum ac constantia virginum. Sunt et duo virorum monasteria extra civitatem, unum ordinis Sancti Benedicti medio milliari Halberstadio distans, alterum ordinis Sancti Augustini duobus milliariibus. Monachi catholici quidem sunt, sed in exercitio religionis admodum tepidi.

3. Cathedralis ecclesia **Hildesiensis** sub metropoli Moguntina, quasi in umbilico Saxoniae sita, a ducibus Brunsvicensibus ante annos septuaginta direpta et ad sextam partem redacta fuit; principibus, comitibus et populis haereticis circumquaque cincta est. Episcopum habet Ernestum Electorem Coloniensem; civitatem habet utrinque<sup>1</sup> celebrem, oppidulum unum et castra tria, ex quibus unum ad capitulum cathedrale spectat, alia duo gravi aere alieno obstricta, quorum alterum 45. millibus dalerorum imperii nuper ab Holsatiae duce redemptum fuit; pagos circiter septuaginta habet ex praedicta direptione reliquos. In civitate sunt monasteria duo ordinis S.<sup>ti</sup> Benedicti, S.<sup>ti</sup> Michaelis et S.<sup>ti</sup> Godehardi, unum virginum, S.<sup>tae</sup> Mariae Magdalенаe. Collegia praeter cathedrale (in quo praepositus, decanus et canonici omnes catholici sunt) tria, S.<sup>torum</sup> Crucis, Johannis et Andreae. Extra civitatem prope muros aliud monasterium Carthusianorum et unum collegium S.<sup>ti</sup> Mauritii. Exercitium religionis catholicae praeterquam in cathedrali nusquam relictum fuerat, sed Deo propitio paulatim restitutum, nunc in omnibus dictis monasteriis habetur, quamvis occupato ab haereticis templo monasterii S. Michaelis monachi privato oratorio pro templo uti cogantur. Idem exercitium habetur in collegiis S.<sup>tae</sup> Crucis et S.<sup>ti</sup> Mauritii. S.<sup>ti</sup> Johanni-

<sup>1</sup> sic!



nis templum ab haereticis funditus demolitum meniorum munitioni locum (*Fol. 79.*) ampliorem reliquit. Canonici residentiam nullam hactenus elegerunt nec ullum peragunt divinum officium. S.<sup>ti</sup> Andreae. S. Michaelis et reliquarum parochiarum templa, semel violenter occupata, nondum recuperari nec ab haeretico exercitio vindicari potuerunt. Canonici S.<sup>ti</sup> Andreae similiter ob templi usurpationem divinum officium non faciunt. Clerus omnis catholicam romanam religionem profitetur; qui ab ea recessisse vel alienus reperitur, beneficio destituitur. Patres Societatis statim post Ser.<sup>mi</sup> Ernesti electionem invitati primum exiguam missionem decreverunt missique apud concionatorem in cathedrali diverterunt multisque subsequentibus annis in cathedrali suggestum conscendere non fuerunt ausi. Sed Deo favente episcopi et capituli piis conatibus paulatim aucti et propriam habitationem nacti, conciones in cathedrali habere coeperunt, scholas aperuerunt et fundationem collegii triginta personarum propediem a Ser.<sup>mo</sup> sperare iubentur, quamvis ab haereticis iniurias infinitas continuo patiantur et ob ministrorum asperitatem in cives fructum potissimum hucusque in pueris extraneis tantum faciant, qui magno numero undequaque istuc confluent, ut frequenter aestimatum fuerit, et adhuc hodie creditur, commodius nusquam institui posse seminarium, quod ad eam frequentiam et multitudinem facile perduceretur, ut apostolica liberalitate dignum maxime videretur. De monasteriis non putatur magnopere laborandum, cum illorum superiores suum officium non deserant. Inter morum defectus maximo scandalo est concubinitas, qui propter haereticos eo nomine toti religioni catholicae palam insultantes maxime foret cavendus et extirpandus. In cathedrali vero praeter unum vel alterum canonicum esse non opinor, qui de eo sit suspectus. In caeteris vero collegiis (ut et vicarii in cathedrali) et aliis ecclesiis plerique tum canonici tum vicarii concubinas alunt. Idem est de pastoribus et vicariis ruralibus extra praepositurae iurisdictionem, in qua officii contra concubinas poenis incarcerationis, fustigationis et relegationis procedere serio iussi sunt. (*Fol. 79.*) Laboratum igitur fuit annis pluribus pro correctione et praecipue scandalosi concubinitas profligatione, eoque nomine multae literae cum comminatione severioris visitationis tam ad cathedrale quam ad reliqua collegia procuratae fuerunt, sed omnia hactenus fuerunt frustra. Quamobrem postremum remedium conquirendum fuit, quod quidem optimum fore iudicatur, si metropolitanus archiepiscopus Moguntinensis cum episcopo simul ad comminatam visitationem delegent viros auctoritate, pietate et scientia praestantes, qui visitationis negotium serio diligentissime exequantur. Quod ab utrisque, Moguntino scilicet et Coloniensi archiepiscopis uti metropolitanis et ordinariis, et pariter ut ad capitulum cathedrale literas praemonitorias darent, cum sit impetratum, expectantur Moguntinenses delegati primum Paderbornae, ubi alterius delegati statim se sunt coniuncturi, et Hildesium profecturi ad tam salutariter pium et necessarium opus exequendum. Ius, auctoritas et obedientia summi pontificis omni ex parte in toto clero sunt integra.

4. **Paderbornensis** ecclesia pluribus annis episcopum et principem ex electione capituli illius habet Theodorum a Furstenberg, genere nobilem, de cuius administrandi ratione Illustrissimum Dominum nuncium pridem factum esse certiore non dubitatur. Catholicus est et catholicam religionem



acriter tuetur contra immorigeros nobiles, civitatem et oppida per haeresin plurimum depravata. Mensam episcopalem graviter obaeratam et multa eius bona oppignorata ab aere alieno liberavit et ecclesiae restituit. Patrum Societatis Jesu collegium partim ex aliorum religiosorum partim ex propriis seu suo aere (*Fol. 80.*) comparatis locis et bonis fundavit. Praelati omnes et canonici praeter unum aut alterum, de quibus suspicio esse posset, sunt catholici. Attamen illorum nonnulli putantur pecunia ducum Luneburgensium haereticorum praeoccupati et inducti, ut, quandocunque acciderit vacatio, unum ex eis Luneburgensibus in episcopum se electuros promiserint; quod visitatio apostolica metropolitano archiepiscopo Moguntino commissa facile deteget. Ditionem habet satis amplam, Brunsvicensi et Hasso principibus necnon comitibus Lippensi, de Ridberg et de Waldeck ac demum Westphaliae Coloniensi confinem. Collegia in civitate sunt cum cathedrali duo. Monasteriorum praecipuorum ordinis Sancti Benedicti unum est in civitate Abdinghovense, alterum quatuor milliaribus Germanicis inde remotum Mariae-Monasterium vulgo dictum. Tertium ordinis Sancti Bernardi Hardehusensis quatuor etiam milliaribus a civitate distat. Oppida praeter civitatem quatuor sunt ad minimum. Virginum monasteria sunt plurima, omnia tamen catholica. Ius, autoritas et obedientia summi pontificis omni ex parte in toto clero sunt integra.

5. Cathedralem ecclesiam **Mindensem** una cum ditione fertili administrat Christianus dux Luneburgensis a capitulo in episcopum electus. Confessionem Augustanam profitetur et urice<sup>1</sup> tuetur, licet multo aliter promississet. Praepositus est catholicus, sed ob rem familiarem prodigaliter absumptam et fidem civilem omnem amissam a multis iam annis omnem pariter auctoritatem et existimationem perdidit, et sive ob senium sive morbum aliquot (*Fol. 80'*) mensibus continuo decumbit et delirat. Decanus Everardus a Mallinckrodt eiusdem cum episcopo religionis est. Praecipuam deinde dignitatem thesaurariae ducis Brunsvicensis filius Ioannes de facto detinet, excluso Antonio Nagel catholico, cui eandem episcopus quaternis provisionum literis antea promiserat contuleratque. Canonici catholici numero sunt quinque, reliqui sectas varias amplectuntur. Duae intra civitatis moenia collegiatae sunt ecclesiae, scilicet Divi Ioannis Evangelistae et D. Martini episcopi. Canonici utrobique religione varii, haeretici tamen praedominantur. Tertia collegiata extra civitatem titulo Sancti Andreae sita est in oppido Lubeke. Canonici omnes ibidem sectarii et uxorati. In civitate quoque sunt duo monasteria, alterum virorum ordinis Sancti Benedicti extreme obaeratum et ruinosum, alterum mulierum, quae occasione haeresis libertatem sibi arrogarunt nec vota emittunt, sed diversis proventibus suas portiones pro arbitrio administrant et seorsim familias alunt. Erat olim et Dominicanorum cenobium, ex quo praeter desolatum templum et scholas haereticas nihil superest. Ruri itidem duo sunt monasteria virginum claustralium, quae similem atque priores vitam agunt. Habuit eadem diocoesis insigne cenobium Cisterciensium in Locken,<sup>2</sup> quod infidelitate cuiusdam

<sup>1</sup> *corr.*: unice?

<sup>2</sup> Lockum.



syndici et conniventia capituli cathedralis paucis abhinc annis a duce Brunsvicensi occupatur. Pastores autem huius ditionis tam intra quam extra civitatem cum parochianis omnes sunt haeretici (*Fol. 81.*)

6. **Osnabrugensis** ecclesia cathedralis sub metropoli Coloniensi postulatum habet Philippum Brunsvicensem pro episcopo, qui et Verdensis episcopus. Praepositum, decanum et canonicos habet catholicos et de nullo constat haeresis, etsi non omnes sint vitae satis integrae et canonicae. Habet haec dioecesis fertilem terram, praeter civitatem oppida duo propemodum aemula. In altero collegium est canonicorum, qui partim religionem catholicam tuentur, nempe in choro sacri decantatione et horarum; partim haeresi lutheranae permittitur exercitium, cum ecclesia quoque sit parochialis, nimirum quoad conciones et communionem. Virginum est ibidem monasterium et religionem exercet catholicam integre. Oppida et arces seu episcopi sedes quinque praeterea vel sex praeter vicos et pagos bene multos habet. In ipsa civitate Osnabrugensi praeter cathedrale collegium est unicum canonicorum Sancti Johannis Baptistae. Duo parochiae, D. Virginis et Sanctae Catherinae. Monasteria virorum tria, sed deserta extra Dominicanorum, in quo sunt tantum quatuor vel quinque monachi. Sancti Francisci habitat secretarius capituli, Sancti Augustini episcopus sibi coeperat exaedificare, sed deseruisse videtur propositum. Foeminarum item tria, sed vix in duobus tenues reliquiae, id est quatuor aut sex supersunt mendicantes. Imminet civitati mons Sanctae Gertrudis, virginum monasterium Sancti Benedicti catholicum. Extra civitatem ad milliare unum vel plura virorum abbatia Sancti Benedicti in Iburg. Mulierum monasteria quinque Bersenbrugge, Borstell, Rulle, Oesen<sup>1</sup> et Malgeren<sup>2</sup>. In omnibus exercetur religio catholica protectione canonicorum et constantia virginum. (*Fol. 81.*)

7. Ecclesiae **Lubecensis**, ab Henrico Leone Bavariae et Saxoniae duce fundata, ad annum usque salutis 1530 in catholica religione perstitit, quo edita confessione Augustana illa collabi Lubecae et clerus varia et dira pati coepit, pertractis quoque ex altari per sectarios sacerdotibus iisque in carcerem coniectis. Praeter ecclesiam cathedralem habuit Lubeca duo coenobia virorum, Sancti Francisci et Sancti Dominici ordinum. Franciscanorum scholae lutheranae, Dominicanorum affoetis<sup>3</sup> utriusque sexus personis tributum est. Totidem ibidem fuerunt virginum monasteria, Sancti Johannis et B. Annae; illud nupturientibus, hoc praedicantium viduis concessum est. Episcopatus administratur a Johanne Adolpho duce Holsatiae, qui uxoratus una cum decano, seniore et plerisque capitularibus canonicis Augustanam confessionem sectatur. Tres tamen ibidem supersunt canonici capitulares catholici, inter quos est D. Laurentius Niebur subsenior, Laurentii Surii Carthusiani piae memoriae ex sorore nepos, vir pius et rectus, ut exemplum loci istius censerî queat. Praepositos hactenus catholicos habuit, usque dum hac aestate nempe 1607 senatus Lubecensis ex resignatione quadam capiens occasionem, secretarium suum nomine Bambach, hominem politicum et

<sup>1</sup> Oeseke.

<sup>2</sup> Malgarten.

<sup>3</sup> sic!



uxoratum, mero facto extorta a capitulo possessione et praelaturae domo sive curia simul occupata, putativum praepositum haereticum constituit. Contra quem vel a resignatorio Sudermanno ad Mariae-gradus Coloniensi praeposito merito procedi vel nova impetratio fieri deberet. Praeter enumerata loca etiam extra urbem ad quartum miliare in oppido Eutym<sup>1</sup> est collegiata libera canonicorum ecclesia, ubi episcopus olim ordinarie resedit; sed tam haec quam tota diocoesis ab allegato tempore haeresi iugiter corrupta. In privatis quidem aedibus suis divina exercuerunt clerici catholici Lubecenses, sed et illis sacris anno 1587 intra solennem Penthecostes octavam severissimo Lubecensis senatus decreto orthodoxam religionem et ritum observantibus, etiam contra religionis pacem interdictum est. (*Fol. 82*).

8. Ad ecclesiam **Monasteriensem** postulatus fuit Serenissimus Elector Coloniensis ante annos 21., et quia bellum Coloniense contra Truxhesium eo tempore et multis subsequentibus annis nondum esset compositum, ad maiorem provinciae tranquillitatem placitum fuit, ut intuitu dicti belli tantisper a personali administratione abstineret, donec ab eo bello nullum ulterius superesset periculum, sed interea per praelatos et nonnullos officiales nobiles praecipuos eam exerceret. Inter caetera etiam provisiones beneficiorum tam curatorum quam simplicium dictis ad administrationem constitutis aliisque praelatis fuerunt permissae et commissae. Sed incredibile dictu, quam turpiter ab iis actum, quam indignis personis puerisque septennibus et octennibus de ecclesiis parochialibus aliisque beneficiis et praelaturis provisum fuerit. Unde nunc magna est difficultas in iis amovendis et aliis idoneis viris conquerendis et substituendis. Quod autem dictae ecclesiae plurimum detrimenti attulit, fuit defectio episcopi Hermanni a Ketler;<sup>2</sup> qui cum religionem catholicam deseruisset et lutheranam haeresin palam profiteretur, per totam provinciam et in omnia fere eius oppida exercitium haereticum aut saltem communitio sub utraque specie et matrimonia sacerdotum introducta fuerunt. Cumque qui deinceps ante Serenissimum fuerint episcopi vel administratores, ad extirpandam haeresin exiguum vel nullam operam adhibuerint, tantopere invaluit malum, ut corruptis ubique pastoribus animarum curam gerentibus subditi perperam instructi difficillime errorem sibi eximi patiantur, et docti pique pastores in tanto numero, quantus requireretur, haberi nullo modo possint. Cumque dictae provinciae non exigua pars sit sub diocesi Osnabrugensi, in qua prorsus nullum officium correctionis et reformationis unquam tentatum fuit, Serenissimus Elector ante paucos menses pleraque illius loca personaliter peragravit, perlustravit et autoritate principali, non episcopali, iuxta imperii sive religionis constitutiones reformari curavit; quodque reliquum est, nunc, uti sperat, est reformaturus, ut deinceps ab haeresi omni purgata ista loca esse et Deo bene iuvante conservari posse videantur. (*Fol. 82<sup>1</sup>*.)

Ditio alias est latissima, habens civitatem florentissimam et oppida plurima, magna hominum frequentia et negotiationibus variis celebria. A Westphalia Coloniensi dividitur Lippa fluvio, cum Belgio limites habet ad vi-

<sup>1</sup> Eutin.

<sup>2</sup> 1553—1557.



ginti et plura millaria Germanica plus minus, deinde cum comitibus Embdano<sup>1</sup> sive Frisiae orientalis, Oldemborg, Lippio, de Ridberg, item Osna-burgo et Padeborna provinciis. Praepositus, decanus et reliqui praelati una cum toto capitulo et clero catholicam Romanam religionem profitentur et quidem iuramentum fidei iuxta concilii Tridendini normam praestiterunt praestantque, quotquod ad beneficia vel praelaturas admittuntur.

In civitate tria sunt canonicorum collegia praeter cathedrale, Sancti Pauli veteris, Ludgeri et Martini. Monasteria virorum, unum Sancti Francisci, alterum fratrum Hieronimianorum. Virginum duo praecipua ordinis Sancti Benedicti, quorum alterum, dictum B. Mariae trans aquas, ordinis et regulae desertionem moliri videtur, cuius nomine visitatores non raro sunt moniti, ut mature manum reformationi adhibeant. Alterum Sancti Egidii satis bene se habet. Alia praeterea sunt duo vel tria incertarum regularum et non satis firmiter instituta. Extra civitatem prope muros est collegium Sancti Mauriti praecipui nominis et census. Sunt praeterea collegia virorum in oppidis Beckum, Dulmen, Horstmar, Vreden et in pago Vreckenhorst, sed reddituum valde exiguorum. Et in posterioribus duobus locis maior pars capituli ex virginibus nobilibus constat, et abbatissae ecclesias regunt. Sunt praeterea similia virginum nobilium collegia sex vel septem per pagos et provinciam, quorum nonnulla vel occasione praesentium haereseon vel paulo antea ordines, regulas et habitus religiosos negligentia (*Fol. 83.*) vel conventivata suorum visitorum deseruisse et novitias sine professione admisisse atque ita libertatem instar canonicorum usurpasse videntur. Multae reperiuntur in his collegiis virginum, quae religionem catholicam non sectantur, attamen, ut videtur, negligentia et incuria pastorum et superiorum potius ac fundamentorum fidei ignorantia quam malitia vel pertinacia; quod inde conici potest, quod a tribus vel quatuor annis, quibus earum conversioni diligens opera data est, abiurata haeresi plurimae fidem catholicam sunt amplexae, ut in eo nunc etiam Serenissimi Electoris et ecclesiastici consilii potissima cura versetur, qua reliquae omnes sive abbatissae sive virgines in catholica religione instrui et ad eam reduci se patiantur aut praelaturis praebendisque priventur. Hoc est interea singulare, quod huiusmodi abbatissae collegiorum vel monasteriorum suorum non modo politicas et oeconomicas res cum iis, quae ad regularum vel statutorum observationem pertinent, curare sed etiam totius iurisdictionis ecclesiasticae administrationem usurpare nomenque et titulum archidiaconissarum sibi arrogare comperiantur, quod nimirum ineptum videtur; et quia ea a decanis, pastoribus vel aliis suarum ecclesiarum praelatis illicitis pactis paulatim avulserint ac usurparint, dubium esse non potest. Nihilominus quotquot sunt in ecclesia cathedrali praelati, non minus quam totum capitulum et reliqui aliarum ecclesiarum praelati paucis admodum exceptis huiusmodi archidiaconissas non modo probant, sed etiam in ea autoritate omnino censent defendendas<sup>2</sup> nec hactenus ab iis potuit alia sententia impetrari. (*Fol. 83<sup>1</sup>.*)

<sup>1</sup> Emden.

<sup>2</sup> defendendos *cod.*



Maximum, quod in hac provincia religioni catholicae restaurandae videtur esse impedimento, est concubinatus et inde proficiscens immane scandalum, quod tantopere invaluit, ut ante annos sex vel septem, priusquam Serenissimus Elector moram in hac provincia traxisset vel illi de eo tam aperte constare potuisset, solenne videretur, non modo canonicum subdiaconum verum etiam praelatos, pastores, curatos, religiosos et ipsos abbates cum concubinis ad convivias et coetus publicos procedere, quae se non modo nominarint sed quoque tam in sepulchris quam fenestris aliisque huiusmodi publicis sive privatis locis praepositissas, praelatissas, abbatissas scribi curarint. Quam ob causam necessarium maxime fuit, ecclesiasticum consilium hic instituere, quod Serenissimus Elector magno sumptu in stipendio decreto alit,<sup>1</sup> ut totius iurisdictionis ecclesiasticae curam ac rationem diligentem gerant ac habeant. Eius consilii caput est Reverendissimus suffraganeus, vir morum integritate ac pietate non minus quam prudentia et scientia clarus; visusque est huius consilii a tam paucis annis fructus uberrimus, qui etiam temporis successu magis magisque augetur, speraturque concubinatum paucis temporibus, Deo favente, tota provincia profligatum iri, et eo faciliorem viam conversionibus subditorum ad catholicam religionem futuram, qui alias occasione vicinitatis Belgicae a calvinistis vehementer et perpetuo ad pertinaciam vel defectionem sollicitantur et plurimum corrumpuntur.

In omnibus tamen his ecclesiis Serenissimo Electori subiectis et summi pontificis obedientia et iurisdicatio ecclesiastica nullum adhuc patitur violentum obstaculum. Quod profecto metuendum foret, si Hollandi Belgii loca, quae vicina sunt, omnia occuparent. Deus (*Fol. 84.*) optimus maximus sui nominis gloriae et ecclesiae tranquillitati clementissime consulere pro immensa sua benignitate dignetur.

Cui laus in aeternum.

---

<sup>1</sup> Ueber die Einrichtung dieses Münster'schen Kirchenrates, Ecclesiastica Monasteriensis congregatio oder Senatus ecclesiasticus, durch Bischof Ernst, Erzbischof von Köln, vergl. Unkel in der oben erwähnten Festschrift S. 258. Anm. 1.